



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Nuptialia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A bus scædus in foro icit, *Porca casa*, inquit, tamen Livius quoque Porcum statuit. Sedenim apud Fe-
 stum invenies, hæc Porcus in sacrorum Pontificalium libris scriptum esse. Porcam autem dicit Vera-
 nius, quæ familiæ purgandæ causâ Cereri itidem solita est immolari, quod pars quædam ejus sacrifi-
 cii fieret in conspectu ejus mortui, cujus funus instituebatur. Extant autem etiam hodie sacrificio-
 rum hujusmodi vestigia Romano solo: nam veteri quodam instituto in defuncti memoriam corbes
 füllæ carnis atq; etiam bubulæ in frustra concisæ ostiatim circumferunt, singulisq; ædibus frustum
 carnis unum impendunt, quicquid lautorem hanc faciunt viscerationem, Panem & vini sextarium abji-
 ciunt.

NUPTIALIA. CAP. XXXII.

QUINETIAM nuptiarum initiis, antiquis Regibus Porcorum mactare mos erat. Et potentiores
 quique viri in Hetruria nuptialibus conviviis, novæ nuptæ maritique Diis tutelariibus Porcum
 immolabant: quod etiam prisca Latini & Græci in Italia faciunt. Unde is qui sponsam ducturus
 cum omnia apparasset, & spe sponsæ frustratus esset, exclamavit:

ἀπώλεν γ' ὄς, ἡ πάλαρον, ἡ γάμου
Perit quidem Sus, & talentum, & nuptia.

B Hyteria sane festa erant, quibus Sus Veneri mactabatur, Argis instituta, cujus rei meminit Callima-
 chus: quanquam apud Sicyonios omne animalium genus Veneri, ut alibi diximus, præter unum
 suem sacrificari solitum invenias. Aristoph. *Sed Veneri Porcus non sacrificatur.* Causam superius ex-
 posuimus.

TERRA JUNOVE. CAP. XXXIII.

MACTABATUR etiam Majæ, sed prægnans, quæ omnino terra est, & ut ait Cornelius Labeo,
 nomen illi à magnitudine inditum: quæ etiam in sacris Magna mater, & Opis vocabatur, cui
 sceptrum etiam in sinistra manu addebatur, quod eam Junonis potentiam habere putabant. Quan-
 quam sunt qui Majam eandem Proserpinam interpretantur, ideoque illi Porca fieri, Suemque mori
 meruisse, quia femina, uti dictum est, pando eruerit rostro. Proserpinam vero esse vim segetum & fru-
 gum omnium per hyemem terræ abditam, per mitius vero tempus in superiori apertaque regione
 commorantem, mythologi docuere. Majæ autem Porcus sacer erat: quo illi cum alio quopiam nullo
 quam cum terra quicquam commune esse manifestius intelligamus, sitque denique, ut Flaccus ait,
amica luto sus, victimæ enim numinibus aut per similitudinem, aut per contrarietatem immolaban-
 tur, qua in sententia Virgilius dixit:

Et in veribus torrebimus extra columnis.

Georg. l. 2.

in antipharicum scilicet: ut hostia nocens eo itidem virgulto coquatur, quod vitibus nocet: nam
 ea de causa præceptum ab eodem fuerat, ne inter vites corylus sereretur, quanquam Festus columnum
 hastile ex corno arbore mavult esse, quam ex corylo: contra vero Sospater Charisius columnum bar-
 barisimum esse literarum transmutatione dicit, cum sit Corylus arbor, ita enim apud eum scribitur.

HUMANA HOSTIA. CAP. XXXIV.

RELIQUUM est, ut de humanis hostiis loquamur, quando constat Porcos id beneficii humano
 generi contulisse, ut pro nobis, in hujusmodi sacrum ipsi succederent. Nam scelera illa mactan-
 dorum hominum ubique fere locorum admittunt, minime fabulosum habetur: manifestum siquidem
 est hujusmodi fuisse sacrificium Taurice Dianæ, quod receptorum authorum fide testatissimum vide-
 mus. Neque quidem Scythæ solum hæc perpetrare facinora, quos propter ingenitâ barbaris
 feritatem id fecisse minime mirum videtur: sed & Egyptii antiquitus tales Junoni hostias immola-
 runt. Romani quoque ipsi Jovem, quem Latialem vocabant, humanis hostiis coluere. Jam Sicinius
 Dentatus multis certaminibus illustris, primus apud Romanos hoc sacrum Marti fecit. Sedenim
 alios quoque fuisse dicit Athanasius, qui postquam à bello victores rediissent, captivos per centuri-
 as dividerent, deque singulis unum desumentes, eum Marti jugularent. Hinc Virgilian. Aneas Pal-
 lantis satis Manibus facturus:

Sulmone creatos
Quattuor hic juvenes, totidem quos educat Ufens;
 O 3

Æneid. lib.
 10.

Viven-